

**1981-12-17 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Honorari Sanctos’****IOANNES PAULUS PP. II****LITTERAE APOSTOLICAE****HONORARI SANCTOS**

TEMPLUM CATHEDRALE IMOENSE  
AD BASILICAE MINORIS HONOREM EVEHITUR

Ad perpetuam rei memoriam. – Honorari Sanctos singulari fidelium veneratione, maxime eos qui sanguinem pro Christo fuderunt, id Ecclesiae sancta catholica non modo permasit, sed etiam suasit; sunt enim illi et amici Dei fidissimi, quos Pater ipse amat, et patroni christiani populi potentes, et egregia virtutum exempla praebuerunt, omnibus imitanda. Nihil ergo mirum, si haec beata Petri Sedes data facultate causam honoris illorum suscipiat. Cum ergo Venerabilis Frater Aloisius Dardani, Episcopus Imolensis, suo ipsius nomine, item cleri atque populi suae daeocesis, ab hac Apostolica Sede petierit ut cathedrale templum S. Cassiano dicatum, Christi Martyri illustri, dignitate Basilicae Minoris decoraretur; Nos, consideratis tum Martyris ipsius gloria, tum multorum Episcoporum eius Ecclesiae fama, tum templi antiquitate, arte, monumentis, atque praesertim religione, bene fieri censuimus, si admotis precibus concederemus. Qua re, iis probatis, quae Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino hac de re censuerit, placet templum cathedrale Imolense in Basilicis Minoribus annumerari, factis nempe iuribus ac privilegiis talium templorum propriis, modo servita sint quae Decretum «De titulo Basilicae Minoris», die VI factum, anno MDCCCCLXVIII, observari iubet. Contrariis nihil obstantibus. Ceterum, quod gessimus felix, faustum fortunatumque sit, fidemque in pectoribus augeat, ad Dei altissimi gloriam, S. Cassiani laudem.

*Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVII mensis Decembris, anno MDCCCCLXXI, Pontificatus Nostri quarto.*

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*